



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

§. 1. Aquarum exorbitantium pericula, damna, vituperia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45686**

XI.  
Ferrar. 10.  
Martij.  
S. Greg. lib. 3.  
c. 10, dialog.

discerent ad diuinum confugere auxiliatorem, neque Diuorum patrocina aspernarentur.

Similem in aquis potentiam, Attala Abbas, apud Ferrarium, ostendit. Similem de Sabino Placentinorum Episcopo testatam, reddit D. Gregorius. *Ei enim, dum die quadam, suus diaconus nuntiasset, quod cursus sui Padus aluenim egressus Ecclesie agros occupasset, rotasq; illic loca nutriendis seminibus profutura, aqua eiusdem fluminis teneret, venerabilis vir a Sabinus Episcopus respondit, dicens: Vade, & dic eis; Mandat tibi Episcopus, vt te compescas, & ad proprium aluenim redeas. Quod Diaconus eius audiens, despexit, & irrisit. Tunc vir Dei accersito Notario dictauit, dicens: Sabinus Domini IESV Christi seruum commentorium Pado: Precipio tibi, in nomine IESV Christi Domini nostri, vt de alueo tuo, in locis istis, ulterius non ex eas, nec terras Ecclesie ledere presumas. Atq; eidem Notario subiungit, dicens: Vade, hoc scribe, & in aquam eiusdem fluminis projice. Quo facto, sancti viri preceptum suscipiens, statim se a terris Ecclesie fluminis aqua compescuit, atq; ad proprium aluenim reuersa, exire ulterius in loca eadem non presumpsit. Qua in re Petre, quid aliud, quam inobedientium hominum duritia confunditur, quando in virtute IESV, & elementum irrationabile sancti viri preceptis obediuit? Cur non obediret quoque hoc elementum ipsi DEO, inobedientibus irascenti, atque aquas, de alubis suis in eos, agminis instar, emittenti? Punit iuste flammis, cur inique plectat vudis? cum sit Dominus vtriusque elementi.*

#### C A P V T VIII.

*Aquas mortalibus nocentes, esse Dei iustissime punientis instrumenta; ac sepe etiam velut iudicia, quibus mali à bonis discriminantur; sed cum iudicio, & non sine delectu agnoscenda.*

**I**nc ad tertiam querelam responsio datur, quæ duabus prioribus suapte natura cohæret. Quippe, si aquæ sunt, quæ possunt sanitatem lædere; si diluuiâ, quæ valent in damna hominum excurrere; procliuè est cogitare, & illas reipsa, & ista nocere; enimuero, etsi, metu ipso, grauius affligant humanam sollicitudinem, tamen insuper etiam & funera facere,

facere, atque alijs extremis malis terræ incolas mactare: & eos, qui ad naues confugiunt, allidere, scopulisque inferre perituros. Neque enim *sera lata bonisq; labores*, & iumenta duntaxat diluuijs, sed etiam tota ædificia, & ipsa denique procellis nauigia fatigantur, & fatiscunt. Tum si quidam aquam & fluctus ratibus vincunt, non vincunt in ediam.

*Maxima pars undâ rapitur: quibus unda pepercit,*

*Illos longa domant inopi ieiunia victu.*

Audiui sæpe disputantes, plûsne aqua sæuiat diluuijs exundans, an flamma incendijs iuualescens? Aiunt, qui oculis & incendijs, & diluuijs æstimârunt, aquarum vim esse longè violentiorem; neque esse artem, industriam, aut laborem vllum, qui possit torrentis furorem repagulis coërcere. Ignem aqua domat, aut refrænât. Aquam ignis nullus exsiccat inundantem. Si flamma in ædes & vrbes dominatur, patet exitus in plateas, fuga in campos; si flumina se non continent ripis, fit terra ipsa, siue intra, siue extramuros.

*Pars maris, & latus subitarum campus aquarum.*

Quanti tunc seaum gemitus, quantus iuuenum ploratus, quantus virorum clamor, quantus feminarum existit vlulatus? Hæ voces sunt accusationes; & quot lamenta, totidem audiuntur argumenta. Merguntur homines, merguntur naues; illorum & istarum exitium, apud insipientes, est diuinæ bonitatis naufragium; nam, quia id malè factum censent, aiunt, factum, quod Deus imperauit.

Si quis igitur scire cupit, cur Deus istarum rerum sit author? respondeo in primis potiùs peccatorem, quàm DEVM harum esse rerum authorem. Nam indidem pœnæ, vnde culpæ est origo. Rectè igitur dici potest pœnæ author, qui est author culpæ. Non enim Deus puniret, si homo non peccaret. Quoties itaque, in pœnam, inundationes fluminum, eluuiiones marium, aut imbrium, cataclismi contingunt, non Deus iudex, sed homo reus est accusandus, qui diuinæ iræ iustitiam in caput suum pronocauit. Quid enim? an ignis non noceat nocenti? *Vindex est orbis iustorum*, & non sit vindex Conditoris? quem iam dudum *negantes nosse impij, per fortitudinem brachij illius, flagellati sunt: nouis aquis, & gran-*

*ad 2. dinibus.*

Ouid. lib. 2.  
Metam.

IL

Sapi. 16: 16: